

*Lectio VIII.*

Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde et Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credidit, jam ad nuptias intravit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certe, fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se sponso et sponsae ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes, et festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, et cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad cœlum assumuntur electi. Qua ergo mente haec spiritualia festa conspiciamus, qui nuptialem vestem, id est, charitatem, quae sola nos speciosos exhibet, non habemus.

R. Sint lumbi vestri præcincti.

(Bened.) Ad societatem.

*Lectio IX.*

Sciendum vero est, quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet et inferiore vestis textitur: ita in duobus praeceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei et proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum sicut teipsum. Qua in re notandum est, quia in dilectione proximi mensura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.